





# S E R M O

Celsissimi PRINCIPIS

JOANNIS

*1<sup>a</sup> L I P E*

L I P S K I,

EPISCOPI Cracouiensis, DUCIS Seueriæ, PROCANCELLARII Regni habitus, *Tarnomonti in Silesia*, in Confinijs Regni Poloniæ

*Die 6. Ianuarij, Annò Domini 1734.* ad

*SERENISSIMUM* PRINCIPEM

ac Dominum AUGUSTUM III.

Electum REGEM Poloniæ,

invitandò Eundem ad Capes-

senda Regni Gubernacula.

XVII. 2. 978

adl.

<http://rcin.org.pl>



Vb Diuo AVGVSTO Secundo, Ter TE vidit Polonia, & uti PRINCIPEM magnæ expectationis & dignum tantô PATRE, adamat, nunc spem adimplente effectu, per Nos ex Ordinibus & ex Gentibus Ejusdem Serenissimæ Reipublicæ Delegatos, TE ter AVGVSTVM ex Regio PRINCIPE, REGEM, ex Electore Electum Dominum suum Clementissimum, in Limine Regni colit & veneratur.

Nobis contigit Honor, denuntiare Majestati Vestræ hæc solenni Legatione, quòd ad Kamionam, ubi post AVGVSTI I. Fata, hæc Respublica Prima Libertatis exercuit rudimenta, nunc arcanò quodam DEI consiliò, post Fata AVGVSTI II. desideratissimi REGIS & Domini Nostri, eandem asserendò Libertatem, cõcordibus Votis, & unanimi Voce TE AVGVSTVM III. in Regem Poloniæ & Magnum DVCEM Lithvaniæ, Ruffiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, & Czerniechoviæ elegimus & proclamauimus. Volat ad Te Solem suum Iovis ales, currit & Immortalis Gloriæ Pogonia, & neq; cursu virtutis, neq; Stadiò vult distingui ab AQVILA Regni, nam cuncti Gens una sumus. Fuerant qui deliberanti Reipublicæ de Electione REGIS intra Domesticos Penates uolebant limitare aspectum, sed TE illimitatâ Libertate conspeximus. [Majores Nostri ita adamauerunt Domum IAGIELLONICAM, ut Ejusdem propagandæ Gratiâ; STEPHANVM ultra Montes Carpejos, SIGISMVNDVM

III. ultra Mare Balticum quæſiverint; Horum laudabili Exemplo ex TE *SERENISSIME* REX, qui duodecim Rivulis Ejuſdem *Sereniſſima Familia Sanguinis* irrigatus, uberem Nobis præſentas meſſem, IAGIELLONICVM formamus Manipulum.

PIASTVM voluit Republica: Alium præſens ſæculum non admittebat; TV ſolus Noſtri temporis PIASTVS, TV Dignus eligi & imperare.

Eadem manus, quæ PATRI TVO Glorioſæ memoriæ voluit detrudere Coronam, & quam ambitio impotens in ſua pariter ac publica impellebat fata, TIBI ad Eandem ſatagebat palmam præripere; ſed Majeſtati Veſtræ Ius plenum Liberis Votis Noſtris conſervavimus, Dignum Conſentes, ut illud Diadema, quod BOLESLAI *Chrabri* Poloniæ PRINCIPIS, ex Liberalitate OTTONIS III. Imperatoris. ex *Sereniſſima* Familia Saxonica oriundi, adornavit caput, nunc ex gratitudine Reipublicæ; Majeſtatis Veſtræ cingat tempora. TVO enim debet Nomini Polonia, quotquot Coronata, hucusq; in Throno adoravit Capita. Annales Noſtri loquuntur, quod Panno ſtrauit iter Gneſnam venienti OTTONI, idem BOLESLAVS, Nos Tibi ſternimus Vota; ſternimus & Corda Populorum, ut his gradibus, Lechicum aſcendas Capitolium. Roma antiqua ſuum Octavianum AVGVSTVM immortalem eſſe voluit, unde nonnulli Teſtamentò cauerunt, ut ab Hæredibus ſuis prælatò Victoriæ Titulò, in Capitolium ducerentur, Votumq; pro ſe ſolveretur, quod ſuperſitem AVGVSTVM reliquiſſent. Idem nũc

Votum exfoluit Sarmatia, quod immortalis Memoria Parentem Tuum desideratissimum **AVGVSTVM II.** non amiserit, sed in Te **AVGVSTO III.** superstitem adorat & Coronat, imò non unum Patrem, reuocas enim Nobis Majorum Annos, & sæcula longa, quæ Pro Auis fluxere Tuis, probitate reponis, revocas Nobis, seu potius in TE rediuuios facis **VITIKINDOS** Magnos, **CONRADOS** pios. **HENRICOS** Sanctos, **FRIDERICOS** Bellicosos.

Honorabile est Reipublicæ, quod TE **REGEM** suum elegerit, cuius **SERENISSIMA** Domus ab **ANSERICÒ** ad **VITIKINDVM** Viginti Ocho Saxonix **REGES**; à **CONRADO** Viginti Novem Electores Imperij, & Sex numerat **IMPERATORES**.

Et Majestati Vestræ non est indecorum, id quod natura negauit, Populorum tenere **Votò**, & huic Genti imperare, quæ sibi creat **REGES**, quæ sibi condit **Leges**. Liberi sumus Ciues, ac simul subditi, Libertas Nostra charius Tibi reddet obsequium, quia voluntarium, uirtute impellente, non mancipatâ voluntate. Longum esset Parenti Tuo desideratissimo iusta dare **Encomia**, & ne euanescat **AVGVSTI** Honor, si promiscuis adulationibus vulgetur, Merita Ejus in Rempublicam, Gratâ memoriâ, & posthumâ veneratione præterimus. Sufficiat hic unicum à Libero Cive **elogium**: **REGEM** Ille Te fecit, quia Tibi nullum Ius reliquit ad **Coronam**. Cæsar Augustus gloriabatur, se Romam Lateritiam inuenisse & marmoream reliquisse; asurgit in spem eandem non nihil concussa Polonia; quodquamquam aliqui di-

scis-

scissi Lateres non bene sibi cohæreant: sub **AVGV-  
STI III.** Imperio solidiùs marmore, adamante perenni-  
us, in intimam coalescent unionem. Validum Tibi ad-  
didit suffragium ad Coronam, qui Te **REGEM** Nostrum  
esse noluit, invalida enim fuissent sine Te Legum auxi-  
lia, aliquorum Potentiâ oppressa vel contempta. Sunt  
adhuc nonnulli, qui mala Reipublicæ, ut aliena à longè  
speculantur, & ne inconstantes uideantur pertinaces fi-  
unt, sed & Hi ut Aquilæ Minores ad Aspectum Tui ut So-  
lis Nostri & ad Caput & Corpus Reipublicæ congrega-  
buntur.

Plura essent de Statu Nostro præsentis edisserenda,  
sed cum domestica mala tristitia sint operienda, eadem cen-  
semus prætereunda. Ter **AVGVSTAM** hodie celebran-  
tes Festiuitatem, Tibi **AVGVSTO III.** Aurum offeri-  
mus, quia Coronam. Offerimus, Thus, quia Vicinam De-  
orum in Te adoramus Majestatem. Offerimus forsân &  
Myrrham; Sed si quid Amari Fortuna minatur, Pectora  
Nostra in Tutamen Tuæ Personæ recipe, non enim tam  
minantia tela, quam tutatur amor Principes, neq; apud  
Nos est aliud inexpugnabile munimentum, nisi amor Ci-  
vium. Et ita Majestas Tua sulata amore & obsequio pro-  
cedat suaviter, regnet feliciter. Veni *Serenissime* **REX**  
Coronaberis, Totiùs Reipublicæ Votum est, quod  
ad Thronum Tuum deponimus; Aue, & Po-  
loniæ faue.





# RESPONSIO,

Nomine SERENISSIMI PRINCIPIS ac Domini AUGUSTI III. ELECTI REGIS POLONIARUM, Amplissimis SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ POLONÆ, ex utroq; Ordine Delegatis, Per EXCELLENTISSIMUM & ILLUSTRISSIMUM COMITEM JOSEPHUM ANTONIUM Gabaleonem De WACKERBART, AQUIÆ albæ POLONICÆ EQUITEM, S. R. M. Conclavis Secretioris MINISTRUM, CONSILIARIUM Status intimum &c. ad SERENISSIMAM Rempublicam Poloniæ Ministrum Plenipotentiarium Delegatum,

D A T A.

**F**eliciter Vos omnes, SERENISSIMÆ Reipublicæ Proceres, divina hucusq; comitata est benignitas,

Cum novo Sole PRINCIPEM Vestrum videtis, quem sociatus pro Patria amor, liberò & uno ore, in REGEM Vestrum proclamavit.

Accipit SERENISSIMUS, ac POTENTISSIMUS NEO ELECTUS REX POLONIÆ, & Magnus DUX Lithvaniæ, ELECTOR Saxonix, Dominus meus Clementissimus, ex cujus jussu loquor, exoptatum, quod Ipsi obtulistis REGNUM.

Accipit per liberam & unanimum Electionem, traditum, & robore Confederationis Reipublicæ firmatum Diadema, Dignitatissq; REGIÆ Tutitionem, quam nunquam deferere statuistis, & Fidelitatis, ab utroq; Ordine, ad extremum Vitæ punctum, sibi promissæ, jurata munera, simul recipit, servat, ac tuebitur.

Vos verò, Amplissimos Proceres, cum totâ, pro Majestate & Libertate, unitâ Republicâ, cujus faciem geritis, in sinum suum colligit.

Non minus Ipsi certè, animorum Vestrorum Conjunctio, Fides & Constantia, quam ipsa Corona placent.

Hunc

Hunc enim, Prudentia, Magnanimitas, & Fortitudo Ve-  
stra, cum ipso fortunarum & Vitæ discrimine, REGI Ve-  
stro paravit fructum.

Non disruptam Ille aut abditam, sed apertam ad Soli-  
um Poloniæ, quæsit Viam.

Unum se ex Vobis putabat, omnia DEO, Libertati, Civi-  
umq; amico affectui committens.

Nesciebat adhuc, se unquam ad Thronum Vestrum esse  
perventurum, & ecce, Amplissimi Reipublicæ PROCERES,  
jam in Cordibus Vestris Patriæ benè cupientibus regnabat.

Quid mirum, si in justissimo PRINCIPE, pronam Vo-  
bis gratiam referendi, inveniatis voluntatem.

Nihil Ipsi profectò, Religionis Orthodoxæ Romano Ca-  
tholicæ Sanctitate, Sanctius, nihil Libertatis ac Legum  
integritate charius, & nihil inquam, Illi, Reipublicæ sa-  
lute ac gloriâ, pretiosius erit.

Ite alacres, & fiduciâ certissimâ freti, Amplissimi SE-  
RENISSIMÆ Reipublicæ Delegati, prosperitatis publicæ Nun-  
tij dignissimi, Verbum Regium habetis, ex unione Ve-  
strâ, læta Poloniæ, totique Reipublicæ Christianæ resfo-  
rescet Pax & felicitas.

Hoc autem precamur omnes ac singuli: DEUS, ex cu-  
jus favore omnia fluunt, REGI Vestro SERENISSIMO, lon-  
gos concedat Annos, gratiâque Suâ, Ipsum, REGI-  
NAM, & REGNUM, Suumque coronet Opus.





XVII 2. 978-979